

an, welche sie auf dem Rathhause um 300 Gulden gekauft haben.^{a)} Gegeben — an senth Julianen tage der heiligen iunckfrawen vnde mertererynne.

Orig. mit den Siegeln des Probsts und des Capitels an Pergamentstreifen im Rathsarchiv zu Leipzig.

a) Vgl. Stadtbuch fol. 179 im Rathsarchiv zu Leipzig. Die Kaufurkunde ist vom 27. Nov. 1465.

No. 272. 1468. 4. Febr.

B. Tilo von Merseburg bestätigt die von dem Probst und Convent des Thomasklosters vor 4 Jahren bei der damals herrschenden Epidemie in den Parochialkirchen Leipzigs getroffene Anordnung des Gesanges O adoranda trinitas und gibt dazu 40 Tage Ablass.

Tilo dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Merseburgensis universis et singulis Christi fidelibus praesentes nostras litteras inspecturis et auditoris salutem in domino sempiternam. Quamquam super benedictae trinitatis patris et filii et spiritus sancti etc. Sane itaque venerabilis et devotus nobis in Christo dominus Johannes Grundeman praepositus monasterii sancti Thomae apostoli opidi Lipczensis — nobis exposuit, quod ipse una cum fratribus suis ante annos quatuor dum ira dei omnipotentis plaga mortalitatis apud eos in variisque terrae partibus serius desae-viret votum voverunt deo omnipotenti, ut ipse in suo furore misericordiae suae non oblivisceretur cum sua omnipotentia parcendo et miserendo lucidius refulgeret, ideo propter gloriam nominis sui a saevitia tantae tempestatis populum suum eriperet et propiciationem suam clementer demonstraret, ad honorem itaque supra benedictae trinitatis in ecclesiis parrochialibus dicti opidi Lipczk ordinaverunt, ut hi versiculi ,O adoranda trinitas' usque ad finem prosae eiusdem summae trinitatis ea morula, qua in summis missis hostia salutaris elevari consuevit, decantarentur, quod continue usque adhuc conservatum existat. Quare praefati domini praepositus et fratres nobis debita cum instantia humiliter supplicarunt, quatenus eiusdem laudis devotionem et decantationem approbare et de thesauro sanctae matris ecclesiae ad praemissa benigniter concedere et elargire dignaremur. Nos igitur Tilo episcopus memoratus attendentes, praefatorum dominorum praepositi et fratrum supplicationem in praemissis fore iustam volentesque quantum nostri praesulatus officium postulat in divini cultus augmentum quantum possumus acceptabile deo et sanctae trinitati impendere obsequium ac ipsorum desiderium in hac parte implere, huiusmodi ordinationem dispositionem et votum ad laudem et gloriam benedictae et sanctae trinitatis in praescripta forma devote psallendum auctoritate nostra ordinaria approbamus ratificamus et auctorizamus per praesentes; cupientesque ut populus christianus devotius et attentius his laudibus intersit, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate nec non sanctorum Johannis Laurentii Maximi et Romani patronorum nostrorum meritis confisi omnibus et singulis vere poenitentibus contritis et confessis, qui huiusmodi decantationi et laudibus tociens quociens interfuerint orationemque dominicam cum salutatione angelica ter dixerint ac deum omnipotentem pro pace et salute christiana attente exoraverint, quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis